Laudatur Caecitas XVIII.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. melius ē [illegible] Matth: 18.

Etsi plerumque caecorum mortalium mentes sensusque hallucinari soleant; tum vel maxime; dum externam rerum speciem, neglecta nativae indolis consideratione, tantum intuentur, et solis speciosis nominibus contenti, non penitius rerum naturas contemplantur; ita ut pessima pro optimis, falsa pro veris nonnunquam accipiant. Reperire tamen est A.A.: Ornatiss. reperire, inquam, est homines; qui non prius quamlibet rem, aut laudis praemio, aut vituperij nota dignam existimant; quam plene atque perfecte discusserint ut et utroque, ut ita dicam, oculo, bene perspectam ad Lydium lapidem accurate examinarint, cur ita, et in talem finem destinata atque determinata sit. Sed quemadmodum horum paucissimi, et albis fere corvis rariores; ita illorum quamplurimi, qui de qualibet re (licet uno duntaxat oculo aspexerint.) sententiam suam dicunt, effutiuntque, et quod approbandum, ~~autumant~~ hoc refellendum, et quod refutandum, hoc approbandum autumare; quod erat amplificandum, extenuant, augent quod minuendum. Inter quorum numerum merito recensendos eos existimo, qui caecitatis